Σὺν θεῷ.

Sup. III. 1. nr 222. 319
134
307

Vir Illustris. S. P.

Hagæ cum non ita pridem essem, hebdomada proxime elapsa, idque negotij illius mei causa; defectu Illustris viri præsentiæ, boni sorti refero acceptum, quod colloquium mihi cum ampl. D. Graphiario fuit, non parum humanitate (: ut videbatur :) erga me affecto. Multus ac de varijs inter nos sermo: sæpe etiam de te (: cur dissimulem? :) est ille vir et cognitor virtutum tuarum, ideoque mirator et præco. Is me impulit ut ad te scriberem, et facilius persuasit, quia occasio etiam esset: quod nunc nuper admodum theses meas Principi Celsissimo inscripserim et miserim, et additus pro illo negotio meo ad eundem libellus supplex: qui a se minus fortasse commendabilis, iuvari produciique possent gratia et auctoritate tua. Scimus enim quem locum apud magnum Principem nostrum meritissimo teneas: cui consilium et columen es, et homini illi, ut sic dicam, Pallas. Felicem Principem talibus ministris! qui præter prudentiam et fidem, probitatem etiam affectis et modestiam in sublimi illa fortuna. Quod Catoni suo Poeta adscribit, tibi convenit:

—Iustitiæ cultor, rigidi servator honesti
In commune bonus.

Privatim ut etiam in me bonus sis, ac mihi verecundanti quasi Minerva esse velis, et Heroas negotium causamque apud magnum illum Nestorem sistas, per communis patriæ iura, ego te oro. Cuius iudicij libram si testimonij tui momento in favoris partem inclinas; tibi ego, et mecum hæc honestissima studia mea debebimus, quæ, nimis diu est cum apud nos pro salutari veritate, per papatum oppressa, iacent et languent. Erige et attolle: Ita Deus te hic felicem ad illa alta et æterna. Postulatam schedam præcipuorum monasterij illius reditorum à D. Graphiario, post Illustris vestræ Dominationis et dignationis responsum aut compellationem, exhibiturus (quantum id pro absentia potero) accedam; geometrice alioquin possens demonstraturus. Itemque ac tertio Illustri viro hæc honestiss. studia commendo, bonarum artium semper à puero nutritio, Patrono, fautori summo. Unus enim ille mihi finis et scopus, non ut maior, sed ut melior fiam, et alios per me tales. Vale Vir Illustris, et virtuti tuæ addictissimum, beneficio etiam obstringe. Athenis Batavorum dabam die 17. Feb. CIↃ.IↃC.XLIII.

Illustris Dnãonis vræ
Obsequiosiss. ac
intimus cliens
Lambertus vanden
Watersaet

Illustri viro

D. Constantino
Huygenio, Equiti,
Domino à Zuylichem
Celsissimo Arausionum
Principi à Consilijs
et Secretis

Hagam

par amis Ree

© British Library
Add MS 22953, f. 307
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2952